Quelle: https://manuscripta.at/?ID=5915
Copyright: CC BY 4.0 <img src="https://manuscripta.at/styles/icon_cc_by.png"> <img src="https://manuscripta.at/styles/BMKOES_Logo.svg" height="48"> <img src="https://manuscripta.at/styles/EUnion_POS1.jpg">



cus

237

ai mitenarius. secuta sunt eum. Et ingrediebantur Capharnaum. Et statim sabbatis ingressus in synagogam docebat eos. et stupebant super doctrina eius. erat enim docens eos sicut potestatem habens et non sicut scribe. Et erat in synagoga eorum homo in spiritu immundo. et exclamauit dicens. Quid nobis et tibi iesu nazarene. an venisti perdere nos. scio qui sis sanctus dei. Et comminatus est iesus ei dicens. Obmutesce et exi ab homine. Et discerpens eum spiritus immundus et exclamans voce magna exiuit ab eo. Et mirati sunt omnes. ita ut conquirerent inter se dicentes. Quid nam est hoc. Quenam doctrina hec nouum. quia in potestate et uirtute spiritibus immundis imperat. et obedunt ei. Et processit rumor eius statim in omnem regionem galilee. Et protinus egressi de synagoga. Venerunt in domum Symonis et andree cum iacobo et iohanne. Decubebat autem Symonis socrus febricitans et statim dicunt ei de illa. Et accedens eleuauit illam apprehensa manu eius et continuo dimisit eam febris et ministrabat eis. Vespere autem facto cum occidisset sol. offerebant ad eum omnes male habentes et demoniacos hinc et erat omnis ciuitas congregata ad ianuam. et curauit multos qui vexabantur variis languoribus. et demonia multa eiiciebat. et non sinebat ea loqui quia sciebant eum. Et diluculo valde surgens egressus abiit in desertum locum. ibique orabat. et persecutus est eum Symon et qui cum eo erant. Et cum inuenissent eum dixerunt quia omnes querunt te. Et ait illis. Eamus in proximos vicos et ciuitates ut et ibi predicem. ad hoc enim veni. Et erat predicans in synagogis eorum et in omni galilea et demonia eiiciens. Et uenit ad eum leprosus deprecans eum et genuflexo dixit. Quia si vis potes me mundare. Jesus autem misericordia motus extendens manum suam et tangens illum ait illi. Volo. mundare. Et cum dixisset. statim discessit ab eo lepra et mundatus est. Et comminatus est ei. et statim eiecit eum. et dixit illi. Vide nemini dixeris sed vade ostende te principi sacerdotum et offere pro emundatione tua quemadmodum preceptum est moyses in testimonium illis. Et ille egressus cepit predicare et diffamare sermonem. ita ut iam non posset manifeste in ciuitatem introire sed foris in desertis locis esset. Et conuenebant ad eum undique. Secundum marcum. II.

Et iterum introiuit in Capharnaum post dies octo. et audiuit quia in domo esset. et continuo multi ita ut non caperet locum ad ianuam. et loquebatur eis uerbum